

& maritimæ civitates necessitudinem quasi quandam anti-
 quitus cum nostris hominibus institutam colant plurimique
 faciant : & portoria a navibus reipublicæ quæ mercaturæ
 causa eo ventitant , etiam augeantur : se se autem & exer-
 citum non spernendum jam habere , & classem satis ma-
 gnâ propediem habituros : easque omnes opes non illi mi-
 nus , quam reipublicæ præsto , cum vellet , futuras : quamob-
 rem confideret , cum tam bonam causam suscepisset , ut
 rempublicam scelere perfidorum hominum proditam ac vio-
 latam tueretur : Deos profecto immortales , quorum ipse
 in terris majestatem obtineret , sibi non defuturos . Ejus-
 modi cum literis labantem Julii animum atque consilia Se-
 natus confirmavisset , legem scivit , ut quingenti armaturæ
 gravioris equites , militum quatuor millia celeriter confi-
 cerentur , atque ad eas quas haberet copias adderentur . Id
 autem non tam jussit spe quam aleret , ut res ad exitum
 perducî posset (nam neque unde is tum numerus accerse-
 retur , ei constabat , neque pecunia in stipendium plane
 suppetebat) quam ut ejus rei sermo nunciique ad Julium
 allati dejectas illius cogitationes & timoris plenas erige-
 rent , exercitumque reipublicæ quem quidem & Veronæ
 recuperandæ difficultate , & Gallicarum rerum fama , quas
 rumor latius atque inflatius attulerat , tardio rem ac suspicio-
 siorem factum sciebat ; literæ de eo ad legatos datæ ad pristi-
 nam belli gerendi alacritatem studiumque revocarent . quod
 sane accidit . Epirotæ enim equites ubi de augendo exer-
 citu nuncium acceperunt , Athesi flumine trajecto hostium
 equites centum captivos fecerunt : milites alteros totidem ,
 nemine suorum desiderato , interfecerunt .

*Venatorum
 novi bellici
 apparatus .*

Aliæ deinde literæ ad Donatum datæ , ut quoniam is
 ad Senatum scripserat , Julio placere , ut bello , quod res-
 publica cum Alfonso exercebat , finis imponeretur : ei
 diceret , Senatum de eo id , quod vellet , esse facturum .
 Quo responso accepto Julius suum hominem Ferrariam
 misit ejus rei causa : neque tamen Alfonso persuasit , uti
 bello desisteret . nam quoniam exploratum ei erat , Aloisium
 regem ad Lemniacum oppidum , quod a Maximilia-